



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Institvtionvm// Ad Vniversvm// Ivs Pontificivm, Sive//
Canonicvm, Libri Qvatvor**

Lancellotti, Giovanni Paolo

Basileae, 1566

ix. De Diuersis delictis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61756)

id flagitij vsus sit, alteri fortè id fieri mandans: Clerici, verò officijs & beneficijs priuati, & ab ordinibus suis depositi, laicorum curiæ relinquuntur puniendi. At qui non ipsi falsum perfecerint, aut fieri mandarint, falsis tamen ab alijs fabricatis literis scientes vsi fuerint, si clerici sint, officijs & beneficijs spoliantur, laici excommunicatione devinciuntur^a.

^a c. ad falsariorum.

Aliorum verò iudicum, siue à sede Apostolica datorum, siue alterius generis literas adulterantes, vel quæ ex Cancellaria, vel à Pœnitentiario Papæ proficiuntur, qua pœna affici debeât, ex alijs locis perendū est^b: sicut etiam, qui falsum sigillū alicuius supposuerit, vel falsam monetam cuderit^c: & æs, aurum, argentum, Alchymistica fecerit^d.

^b Socin. c. ad falsariorū.

^c c. ad audientiam, extra. & in extrauag. un. Ioan.

^d c. si in extrauag. com.

DE DIVERSIS delictis,

TITVLVS IX.

Vnt & alia crimina, præter suprà dicta, non minore animaduersione digna: vt ecce, Clericus contra Episcopi sui vitam, vel honorem, coniuurationem machinatus, nec potis ad sanitatem vllō modo flecti, deponi potest, & in manibus secularium deserui puniendus^e.

^e Berr. de Di. 47. 60. tit.

Item maiestatis læsæ criminis obnoxius clericus, cuiuscumque ordinis sit, deponitur^f.

^f Idem Diaz. ubi suprà.

Homicidium quoque nemo ignorat crimen horrendum cœseri, tunc præsertim, cum neque fortuito, neque necessitate ad id impellente committitur, sed libera voluntate id suggerente: quod si à laico patratū sit Ecclesiasticæ ditioni subiecto, iudex eius Ecclesiasticus causam seculari iudici mandabit, vt ille iustitiam faciat^g, ille secularibus legibus decretas pœnas in eum statuet: sin Clericus sit, deponetur, atque etiam si adiacentes crimini loci valde illud exaggerent, vt iam non videatur amplius dissimulanda, aut ferenda rei proterua temeritas, laicorum manibus, sacris ei ordinibus antè ablatis, plectendus dimitte- tur^h.

^g ca. clericis ne cleri. uel mona.

Sed & furtum, id est, contra-ctatio rei alienæ invito domino lucri faciendi causa facta, non leuem irrogat auctori suo notam & pœnam. Clericus enim fur deponitur, & cum nullam correctionem admittit, excommunicatur, deinde contumacia crescente anathematis mucrone feritur: quod si adhuc in profundum malorum veniens contempserit, seculari potestati relinquitur, exilio, vel alia legitima pœna puniendusⁱ.

^h c. cū nō ab homine ubi. Doct. de iudic.

Adulterium quoque, id est, alieni

ⁱ c. cū non ab homine.

lieni thori violatio, magnā pœnam meretur: ita clericus deponitur, laicus excōmunicatur^a.

*e. significa-
sti. ubi Ab.
de adult. c.
at si clerici.
S. de adulte
rijs. de iudi.
Hosti. in Sum-
ma.*

Item stuprum, id est, illicitam virginis deflorationem, pœna non leuis manet. Nam laicus, qui virginem stupro deceperit, corruptam à se virginem dote illi idonea à se constituta vxorem ducere tenetur: quam si iungi sibi recuserit, corpore afflictus & excommunicatus in monasterium conijcitur: Clericus verò flagris cœditur, interdumque pœna pecuniaria mulctatur, & quandoque etiam deponitur^b.

*c. 2. de adul-
ter. Diaz.
eo. tit.*

Item raptores, id est, qui puellas vi illata à domo patris abducunt, vt corruptas à se vxores habeant, pœnas seueras non evadunt, siue puellæ duntaxat, seu parentibus solis, seu vtriusque vis facta dicatur: nam clerici à gradu suo deijciuntur, laici excommunicantur vnà cum adiutoribus suis^c, & pœnam pecuniariam inferre coguntur^d.

*c. eos. c. de
de puellis.
36. q. 2.*

*c. de rapto-
ribus. ca. q.
et cau. Ho-
sti. in Sum-
ma.*

Qui incendium quoque posuerit dolose, pœnam Canonice non effugit. Nam laicus excommunicatur, nec absoluitur, nisi damno prius restituto, & iuramento præstito, quod nullum posthac incendium eius dolo excitabitur^e: Clerico autem in id sceleris lapsio (quod abominatur) iudicis considerati & prudentis arbitrio pœna imponitur^f.

*c. pessimā.
27. qu. 8.
Hosti. in
Summa.*

*Diaz. titu.
de incen.*

A His adduntur & aliæ delictorum species: veluti, sortilegiū. Sortilegi autem dicuntur, vt Isidorus placuit, qui sub fictæ religionis specie per quasdam sortes, quas ipsi Apostolorum, aut aliorum sanctorum hominum nominibus præterege enuntur, diuinationis scientiam profitentur, aut certarum scripturarum inspectione futurorum eventum se prædicere posse gloriantur^g. Quorum pœna est ex concilio Lateranensi sub Leone X. celebrato, antistitum arbitrio permessa, nisi in eo vitio perseuerarint: nam tunc ex eodem concilio deponuntur, & in monasterium ad tempus iudicis arbitrio diffiniendum detruduntur, beneficijsque & officijs Ecclesiasticis quibuscunq; priuantur^h.

*g. c. nunc. 26e
q. 1.*

B Periuris verò, præterquam quod & beneficia auferuntur, & ordinum interdicitur executio, aliæ quoque pœnæ adduntur pro rei qualitateⁱ.

*h. Diaz. titu.
de sortileg.*

Blasphemus autem clericus ex eodem ipso Lateranensi concilio ita punitur: nam prima vice, qua de hoc crimine fuerit convictus, beneficiorum omnium fructibus annuis spoliatur: altera vice beneficii ipsius, quod vnum ei sit, iacturam sustinebit: sin plura beneficia habeat, illud ex eis amitteret, quod ordinarius ei adimere statuerit: tertio demum ad vomitum reuersus

*i. Ryp. c. 2. de
reperi. c. tua
nos. de iure
iur.*

& convictus, dignitatibus omnibus, & beneficijs ipsi iure priuatus censetur. Alia tamen pœna olim statuta erat per Gregorium IX^b.

^a Bernar. Di-
ax. t. de bla
sphem.

^b c. si. de ma
ledic.

Cæteras autem delictorū species si quæ sunt, & eorum pœnas, studiosus ex corpore iuris Canonici excipiet: nos enim de his tantum diximus, quantum pro instituto nostro necessariū esse iudicauimus.

DE POENIS,

TITVLVS X.

Ed cūm varia pœnarum genera inventa sint, quibus delicta vel seuerè, vel remissè, prout eorum qualitas exegerit, puniantur: earum aliquas enumeremus, ut proinde sciant iudices acri iudicio estimare, quæ nam pro delicti qualitate, & delinquentis statu & conditione, omnibusq; circumspectis maturè statuenda sit.

^e c. ad reprimenda. ubi gl. de officio ordina.

Et maxima quidem iure nostro pœna est degradatio, id est, omnibus gradibus, & ordinibus spoliatio: quæ etiam in clericum minorum ordinum cadere potest. Eaq; est duplex: altera, quæ solis verbis fit, & depositio simplex appellatur: altera, quæ non tantum verbis, sed etiam factis celebratur, ideoque actualis appellatur degradatio.

Et certus in ea Episcoporum

numeris desideratur: nam Episcopo deponendo Episcoporum duodecim præsentia opus est, quod tamen nec sine autoritate summi Pontificis fieri de-

bet^d. Presbytero autem deponendo sex Episcopos interesse satis fuerit: Diacono & subdiacono tres præter proprium ipsius Episcopum: cæteris clericis deponendis sola proprii ipsorum Episcopi sententia sufficiet^e, cum clericorum tamen suorum præsentia^f. Criminis tamen hæresis damnatum sacerdotem, vel alium clericum in sacris ordinibus constitutum, poterit suus Episcopus solus convocatis Abbatibus, alijsq; prælatis, & religiosis personis, & literatis suæ diocesis, quos vocare voluerit, degradare^g.

Multa autem solèntas in solenni degradatione requiritur, quæ tam ex Concilio Carthaginensi secundo, quam ex Bonifacii rescripto ad Arelatensem Episcopum præscripta est^h: eo etenim modo fit, quo exauthoriari solet, qui in militiam armatam adscriptus est: nam sicut illi militaria detrahuntur insignia, atque à militia & castris exturbatur priuatus consortio & priuilegio militari, ita clericus in cælestem militiam receptus, singula ordinum, quos receperit, insignia reddere compellitur: qua degradatione perfacta, exinde curiæ seculari præ-

^d ca. quod ad translationē ubi glo. de offi. leg. c. discutere. & ca. hæc quippe. 3. q. 6. c. accit satores. 5. iudices. & c. seq. 3. q. 8. & c. duo decim. 5. q. 4. Abb. c. non potest. de re iudic. c. felix. 15. q. 7. ^e c. degradatio. in 6. c. Episcopo rru. 15. q. 7. ^g c. p. de hæret. in 6. ^h c. degradatio. in 6. et d. c. felix.